

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





72  
22

*Divinâ sic favente gratiâ*

**PRO SECUNDA  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ET CLARISSIMI VIRI, DN. D.  
MARTINI CHEMNITII  
DISPUTATIO QUARTA.**

*Tria continens capita*

- I. De Baptismo Ioannis & Christi.*
- II. De Baptismo pontificiorum.*
- III. De Secunda pontificiorum tabula.*

*Quam ad amicam δίακουεσιμ*

*Sub prasidio,*

**SALOMONIS GESNERI,**

*S. S. Theol. D. & Profess. in Academia Witeb.*

*Publ. proponit ad 9. Martij in Tem-  
plo Arcis Electoralis,*

**GREGORIVS D. CZENKINVS,**

*Vng. Pan.*

**W I T E B E R G Æ**

*Typis Meisnerianis, Anno 1603.*





SPECTABILI AC MA-  
GNIFICO,

*Dn. DOMINO FRANCISCO DE NA-  
DASDT; Perpetuo terræ Fogaras, & comita-  
tuum Castriferrei & Soproniensis, COMITI,  
Regalium Agazonum per Vngariam Ma-  
gistro nec non Sacrae Casarea, Regiaq;  
Majestatis Consiliario &c.*

Domino, & Mecœnati suo magnificentissimo, libera-  
lissimo, piissimoq; in æternum colendo

*Theologicas hasce positiones, primitias studiorum suo-  
rum pietatis & gratitudinis ergo*

humilimè

offert, dedicat, consecrat

*Gregorius D. Czenkinus  
Respondens.*





THESIS I.



Actenus de Sacramentis in genere actum, agendum deinceps in specie quoque de singulis: Sunt autem sacramenta Novi Testamenti duo, baptismus & Cæna Domini, quorum alterum initiationis, alterum confirmationis, juxta institutionem Dei, in Ecclesia Christianorum inde ab initio habitum est; hac vice sacramentum Baptismi, Deo volente, & conatus nostros dirigente, defendendum, suscipiemus.

II.

Baptismus propriam cum intra, tum extra Ecclesiam significationem immersionis, vel ablutionis obtinuit; in eo tamen, non nihil discriminis admisit, quod gentiles pro nuda immersione baptismum usurpabant; Iudæi vero ex traditionibus majorum aliquid meriti eidem affingebant Marc. 7. 4. In Novo vero Testamento, baptismus peculiariter institutus à Deo ad regenerandos homines.

III.

Ab hac peculiari baptismatis significatione, excluduntur baptismus flaminis & sanguinis, tanquam, quæ nomen solum baptismi non rem & definitionem participant; οὐκ ἔστιν ἄλλος, enim baptismus acceptus, quo Deus gratiam suam confert & obsignat hominibus, unicus est, qui lavacrum regenerationis dicitur. Tit. 3.

IV.

Est enim baptismus Novi Testamenti sacramentum, consistans elemento aquæ & verbo cum institutionis & mandati; tum promissionis, institutum divinitus, quo Deus hominem in Nomine Patris, Filij, & Spiritus S. baptizatum in æternū gratiæ suæ fædus recipit, regenerat eum, remittit illi peccata, mortiq; Christi insutum adoptat in filium, & per Christum omnium honorū cælestium & spiritualium participem reddit.

Luc. 7. 30.  
Ioan. 33.  
Mat. 21. 25.  
Ioan. 41.  
Mat. 28. 19.  
Mar. 16-16.  
Luc. 3. 3.  
Act. 2. 38.  
Zach. 13. 1.  
1. Pet. 3. 21.  
Tit. 2. 34.  
Ephes. 5. 26  
Tit. 3. 5.  
Rom. 6.

A 2

Hac





V.

Hac definitione comprehenduntur omnes causa, efficiens, quae est ipse Deus, materialis, ut elementum aquae, formalis, sunt verba institutionis, baptizate in nomine Patris Filij & Spiritus S. finalis; ad regenerandum hominem, quibus tamen ita promissis, hac in disputatione de tribus acturi sumus; Primo, An baptismus Ioannis, & Christi, eiusdem substantia, & effectus fuerint; dispiciemus, 2. de pontificiorum baptismo: & tertio, de secunda pontificiorum perditissime navigantium tabulâ.

## CAPVT I.

DE BAPTISMO IOANNIS ET  
Christi.

VI.

Chrysoft.  
ad verba

Matth. 3.

August.

Contra

Donatist.

lib. 5. c. 10.

Ambr.

lib. 1. cap. 3.

de S. S.

Patres variè de Baptismo Ioannis senserunt; Nam eorum quidam dixerunt illum fuisse, nudam ceremoniam absq; remissione peccatorum, quidam verò non planè expertem fuisse illum gratia Dei, sed tamen in spe tantum hominibus per eum peccatorum remissionem obtigisse ajebant, ut dicerent in baptismo Christi reapse ista fieri; fuerunt etiam quidam, qui revera gratiam Dei, à Ioannis ministerio non sequestrabant, sed aequè ac Apostolorum baptismum, salutem hominum consuluisse affirmabant.

VII.

Hac autem inter patres olim agitabantur sine omni execratione, quippe qui quaestionem de circumstantia tantum temporis, quo ad baptismum Ioannis fuisse existimarunt, & circa quam sine dispendio salutis quilibet suo sensu abundare posset, & in utramvis partem descendere si modo veram doctrinam, de poenitentia, fide, & pietate, illibatam retineret; sepositâ tamen illorum autoritate non difficile est de Ioannis baptismo iudicare, ut mirum sit, Romanam synagogam in suo conciliabulo, ausam esse, anathema cudere, & jugulare insontes, qui



qui sacras literas in testimonium vocarent, quibus cum tamen ne quidem Augustinus se pugnaciter acturum dixit.

VIII.

Sentiendum namq[ue] fuerat de Baptismo Ioannis, secundum verbum, cui ceremonia Sacramentorum mandato & institutione Dei adiuncta & annexa sunt. Et cum ipse Ioannes etiam ad munus Ecclesiasticum immediata vocatione à Deo sit missus, plane ab ipsius vocatione fuisset alienum, si ceremonias à semetipso, extra vel contra verbum Dei instituisset; quare uti de verbo, ita etiam de ceremoniâ in ministerio Ioannis iudicandum.

Luc. 3.  
Ioan. 10

IX.

Finem autem ministerij, quo multo post functurus erat Ioannes iam olim propheta vaticinando expresserunt, ut, nimirum Ioannes Christi præcursor, viam Domino prepararet; Ait namque Esaias de illo, vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas eius; Et Malachias, Angelum Dei illum nominat divinitus mittendum, ad præparandam viam ante faciem Domini; & Eliam, ut converterat cor patrum in filios, & filiorum in patres.

Esaï. 40.  
Mal. 3. 10  
& 4. v. 5.  
Matt. 17. 12.  
Mar. 9. 11

X.

Postquam vero illa Prophetarum de Ioanne vaticinia rei veritate fuissent completa; Evangelista media etiam ad illum finem perducentia liquidius expresserunt; Matthæus namque ait, Ioannes prædicans in deserto dixit pœnitentiam agite, appropinqua vit enim regnum Dei, quo tamen exprimitur sola concionis, quam habebat Ioannes ad populum, materia; Marcus vero & Lucas finem quoq[ue] addunt, in remissionem, nimirum, peccatorum.

Matth. 3.  
Mar. 1. 4.  
Luc. 3. 3.

XI.

Ad salutem ergo hominum concio Ioannis spectabat, ut Domino plebem perfectam faceret, dando illis scientiam in remissionem peccatorum, & ut multos filiorum Israël convertere-

Luc. 1. v. 15  
& v. 16. 17.  
76. 77.





ret ad Dominum, siquidem in virtute & spiritu Elie faciens  
Domini praecedere debebat, ad quod etiam officium iam ab  
utero matris Spiritu sancto replebatur.

## XII.

Si tamen accuratius rem examinare velimus verbum in  
Ioannis ministerio bipertitum invenimus, legis nimirum &  
Evangelij; Omne namq; verbi Dei ministerium legitimum  
& à Deo ordinatum aut arguit, hoc est, operatur contritio-  
nem in seria peccatorum agnitione, & pavores conscientiae a-  
gnoscentis iram Dei, adversus peccata: aut, postea quam mal-  
leo verbi pectora ferrea contusa sunt, & propositum in sceleri-  
bus amplius permanendi, proiecerunt, consolatur & erigit ad  
salutem; ut ita lex & Evangelium in conversione hominis mu-  
tuam, praestent operam.

## XIII.

Quare neq; Ioannis ministerium praedicatione tantum le-  
gis absolutum; paenitentia namq;, quae legis proprium & pro-  
pinquum effectum, sine fide extra regenerationem, est res Eth-  
nica ministerium mortis, & irae Dei: quia lex iram opera-  
tur Rom. 4. v. 15. ob transgressiones mandatorum Dei. Talem  
autem paenitentiam Deus in ministerio Ioannis finaliter homi-  
nibus, praedicari noluit, quia non volens iniquitatē est Psal. 5.  
& vult omnes homines ad agnitionē veritatis venire 1. Tim.  
2. 4. ut omnes convertantur, & vivant Ezech. 18. 32. & 33. 11.  
& Ioannes plebem Domino perfectam fecit.

## XIV.

Vnde necessario consequitur, Evangelium quoque de re-  
missione peccatorū illius ministerio fuisse adiunctum; ut hoc ab  
inductione quoq; effecterū Evangelij probari facillimè potest;  
Nam cum Evangelium fidem operetur 1. Tim. 4. 6. illustra-  
tionem vitae 2. Cor. 4. 6. reconciliationem 2. Corinth. 5. 19. re-  
gnumq; Dei stabiliat Matth. 3. 2. & 4. 23. & Ioannis auditores  
verè paenitentia agentes de emendatione vitae Magistrū suum  
consul-



consulverint; obscurū non potest esse, quin remissionem peccatorum per fidem ob meritum Christi ex gratia Dei habuerint; emendatio enim vite, fidei proprium est inter alia, ut neq; ea cadit in illos, quos desperatio abripit.

## XV.

Huc dulcissima Ioannis de remissione peccatorum conciones, quibus baptizatos iam tum suos erexit, faciunt, predicavit namq; de Patre, Filio, & S.S. testatus est de luce, ex cuius plenitudine gratiam pro gratia quovis tempore homines accipiunt, non silentio praterit officium Christi in redimendo genere humano, Ecce, inquit, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, credentem in hoc agno vitam aternam habere pronuntiavit; incredulis vero iram Dei, predixit.

## XVI.

Quibus aphorismis abunde notatur remissionem peccatorum à ministerio Ioannis fuisse minimè separatam, sed eam credentibus propter meritum Christi ex gratia Dei obtigisse; sua ergo iam spontè emergit baptismum, non ad nudam & solam tantum pœnitentiam, sed ad illam peccatorum remissionem, que credentibus per ministerium Ioannis à Deo fiebat, ob signandam, fuisse à Ioanne usurpatum; qualem namq; doctrinam proposuit, talem quoq; baptismum usurpavit; illa autem fuit salutaris.

## XVII.

Marcus & Lucas, Evangelistæ, aiunt, verbum Domini factum ad Ioannem, & ille venit in omnem regionem Iordanis predicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; atq; hoc est, quod Petrus de baptismo Christi dicit. Act. 2. 38. ubi autem peccata sunt remissa, ibi iustitia adest, locum habet gratia Dei, viget, donatio Spiritus S. regnat & triumphat vita cœlestis hereditas; que sane omnia iterum in ijs, qui pœnitentiam agebant, & à Ioanne baptizabantur, satis conspiciuntur, confessi enim sunt sua peccata: vera autem peccatorū confessio nascitur ex fide, & remissionem peccatorum impetrat.

Deinde



## XVIII.

Deinde Ioannes quos baptizavit, eos in Christum credere docuit, qui vero in fide Christi baptizantur, in peccatorum remissionem consequuntur; sic illi qui baptizati sunt baptismo Ioannis, dicuntur Deum iustificasse, quod quomodo intelligendum ex manifesta antithesi liquet, Pharisei & Legis periti consilium Dei spreverunt, adversus semetipsos, non baptizati à Ioanne; quo accedit, eos, qui ad Ioannis baptismum venerant, id quasi visse, quemadmodum possent iram Dei imminentem effugere.

## XIX.

Præterea baptismum Ioannis fuisse organum regenerationis ex dialogismo Christi & Ioannis apparet; Quia enim Ioannes predicabat baptismum pœnitentia in remissionem peccatorum, eos tantum ad baptismum admittebat, quos peccatorum pœnituisset, & credidissent in Filium, ut hæc Ceremonia gratia Dei participes fierent; Cum vero Christus esset peccati expertus, nec opus haberet regeneratione, eum Ioannes à suo baptismo arcet, quod sane si ad meram & nudam corporis sordium ablutioem baptismus Ioannis fuisset destinatus, non fecisset, nec opus erat novo vocabulo eum indigitari Baptistam, sed balneatorem aliquem, qui multorum sordes abluisset, quod sane absurdum: nec enim necesse fuisset ad hanc rem immediata aliqua vocatione, & Spiritus Prophetici donatione: ut mirum sit etiam audere Bellarminum dicere, Ioannis baptismum non Dei, sed proprium Ioannis, tanquam ab homine inventum, fuisse, cum tamen ipse Baptista contradicat illi.

## XX.

Vt ergo multa paucis includam, dicimus baptismum Ioannis fuisse ceremoniam divinitus institutam & mandatam, ipsique verbo, quod Ioannes in ministerio suo sonabat, & profitebatur adiunctam ad remissionem peccatorum in ijs obsignandam, qui per prædicationem Ioannis pœnitentiam acturi, & credituri in Filium Dei erant.

Huius

Ioan. 1. 36.

Act. 19. 4.

Luc. 7. 29.

Luc. 3. 7.

Matth. 3. 13.

14. 15.

Bellar. lib.

1. de Baptif.

cap. 20.

Ioan. 1.



XXI.

Huius ceremonie materia fuit elementum aqua; forma erat verbum Dei, quale quale, illud fuerit, vero tamen similis est eum baptizasse in Nomine sacrosancta Triados; quia jam antea populum ad agnitionem ipsius invitarat: & sane materia concionis non eadem, fuit, qua Iudaeorum: Alioquin enim neq; secessionem populus fecisset ad eum: & vero Iohannes illos, qui credebant in Filium, excipiebat suo baptismo, Paulus etiam dicit eum baptizasse in nomine venturi Christi, non quasi adhuc incarnandus fuisset is. si quidem jam tum agebat annum Christus 29. sed quia in officio erat manifestandus.

XXII.

Baptismi autem Ioannis autor fuit Deus, ipse vero Ioannes medium seu organum, per quod Deus eo temporis munus Ecclesiasticum exequi voluit, ideo Ioan. 1. ait Baptista, qui misit me baptizare in aqua. Luc. 3. 3. & Ioan. 1. 6. fuit homo missus a Deo cui nomen erat Ioannis: baptismus vero Ioannis dicitur, quia ille primus in N. Test. eum ex voluntate Dei administravit.

XXIII.

His etiam de baptismo Ioannis ita praemissis concludimus baptismum Ioannis & Christi substantia & effectu fuisse eundem, quia 1. ut baptismus Ioannis in Christum remittebat homines sic Apostolorum, qui Christi dicitur, 2. Utrinq; poenitentia exigebatur, si quidem prius docebant, & tandem conversos baptizabant. 3. Uterq; fiebat in Christum eiusq; nomine. 4. Credentibus pari modo promittebat remissionem peccatorum, 5. Idem externum signum & elementum 6. In utroq; vis regenerationis vni Christo ascribitur. 7. Cum praedicatione verbi consentit, ut habeat uterq; in sacramento, quod praedicatione habet in verbo. 8. Idem ritus baptizandi. 9. Idem verbu Dei. 10. Eadem causa efficiens. 11. Eadem cause executiva, seu instrumentales, vel organica, videlicet ministri, non auctores baptismi.

B

Vnita-





## XXIV.

Unitatem baptismatum istorum, quo ad essentiam & effectum, sacra litera probant, 1. Cor. 12. 13. Vno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudaei, siue gentiles, siue servi, siue liberi, quod sane fieri non potuisset, si baptismus Ioannis, diversus fuisset à baptismo Christi, neq; Christi membra essemus, quia ille baptizatus est à Ioanne: neq; unum corpus, cum discipulis, si quidem aliqui illorum à Ioanne baptizati sunt, nec usquam rebaptizati leguntur.

Ioan. 1.

## XXV.

Quid? quod Paulus Ephes. 4. 5. quasi per gradationem ostendit bona Ecclesiae Novi Testamenti, unum corpus, & unus spiritus, sicut & vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium: Abeat nunc Esauitica proles, & dicat baptismum Ioannis, à Christi baptismo, toto genere diversum.

## XXVI.

Nec obstat unitati istorum baptismatum illud Ioannis: ego baptizo aqua, ille baptizabit Spiritu S. & igni; Nam Christus ipse & Petrus locum illum ad visibilem S. S. in Apostolos in die pentecostes, effusionem spectasse interpretatur Act. 1. & 17. Cum tamen jam antea habuerint sanctificantia S. S. dona; deinde distinguuntur eo loci, non realia baptismatum istorum, sed tantum personae ad avertendam Phariseorum de Ioanne suspicionem ut Luca. 3. v. 15. 16. & Ioan. 1. 23. 24. 25. habetur. Putabāt enim Pharisei ipsum esse Messiam quod Ioannes negat, & dicit se aqua baptizare quod in sua potestate habebat amplius nihil, Christum vero esse illum, qui incrementum labori suo impertiat, & effundat Spiritum S. visibiliter, & invisibiliter, quo facit illud 1. Cor. 3. 5. 6. 7. addidit tamen Ioannes vocabulum ignis, ut ostendat se loqui de manifesta



Ita illa donatione spiritus, qua facta est in die pentecostes ad  
Apostolos.

## XXVII.

Hoc tamen non inviti concedimus, quin etiam credimus,  
in baptismo Christi ampliora S. S. dona credentibus fuisse da-  
ta; statuimus etiam ministerium Ioannis præcessisse mortem,  
passionem, & resurrectionem Christi, qua tamen ministe-  
rium Apostolorum, & præcesserat, & subsequutum est in Iu-  
daea, inter gentiles vero ea Christi beneficia, ministerium <sup>Dan. 12. 30</sup>  
Apostolorum fuit secutum; sed hæc, nihil detrahunt aut ad-  
dunt baptismo, vel Christi vel Ioannis, nam ut in vita æter-  
na omnes fulgebunt, tamen splendor unius superabit splendo-  
rem alterius, ita & S. S. dona, sive sint ampliora, sive paucio-  
ra & minor, tamen non sunt contraria: Neq; enim linum  
fumigans extinguit Deus, neq; id quod magna fide ardet re-  
pigit, Dominus. Et quod ministerium attinet, illud veritati  
rei nil obest, sive enim ante sive post resurrectionem  
Christi, salus contingit vera fide in Christum tantum cre-  
dentibus, cui rei ministerium inservire, non dominari de-  
bit. Doctrina namq; de gratuita justificatione eadem ut-  
robiq; mansit.

## XXVIII.

Ad hæc inferimus postremum quoq; corollarium, eos  
nimirum, qui semel à Ioanne baptizati sunt, non fuisse  
necessario sub dispendio æternæ salutis rebaptizandos, 1.  
quia, ut ostensum, eadem baptismatum istorum substantia-  
lia 2. quia Ioannis ministerium, idem cum Apostolorum  
ministerio, 3. Ministerium Ioannis successit ministerio Ve-  
teris Testamenti, ibi autem in gremium Ecclesiæ semel per  
circumcisionem asciebantur. 4. quia iam tum baptismus  
fuit lavacrum regenerationis Ioan. 3. 5. fœdus Dei cum homi-  
nibus initum eo ipso obsignabatur. 6. neq; semel ab ipso bap-  
tizati, iterum sunt rebaptizati, alioquin Petrus & quorum





fit Ioan. 1. mentio, item Apollo Act. 18. fuissent rebaptizandi.

## XXIX.

Vrgent quidem aduersarij hoc corollarium nostrum ex cap. 19. Actorum, ab exemplo Pauli & discipulorum Ephesorum, quos à Paulo rebaptizatos ajunt; Verum nihil efficiunt, nam non aqua rebaptizati sunt illi, sed per impositionem manuum Pauli effusa Spiritus Sancti dona acceperunt, de qua miraculosa effusione discipulos illos examinabat: nec dubitavit illos Paulus habuisse jam antea Spiritus sancti dona sanctificantia, quæ omnibus piis obveniebant ex prædicatione verbi, & Sacramenti baptismi administratione; quo facit illud, quod Lucas eos discipulos dicit, & quidem tales, qui credebant, id quod sine Spiritu Sancto fieri non potuit, fides enim Dei donum est, quare aduersarij disspescunt per fallaciam divisionis illud, quod à Paulo conjunctim dicebatur. Pauli enim verba fuisse illa, (His auditis baptizati sunt,) connexus orationis ostendit, Nam cum antea dixisset, Ioannes quidem baptizavit, &c. ne hiulca fieret oratio, subnexuit *καὶ οὗτοι ἐβaptίσθησαν*; quæ sequuntur tandem esse verba Lucae historiam pertextentis dicimus: Atq; ita nihil aduersus sententiam nostram Iebusita proficiunt. Et hæcenus de primo capite.

## CAPVT. II.

## DE BAPTISMO PONTIFICIORUM.

## XXX

Pontificiorum de baptismo doctrina est ipsissima errorum lerna, ut si quis eam recensere velit, citius forte illum tempus deficiat, quam ut inceptum suo effectu donet, & habet errores non vulgares, sed crassissimos, ut mirum sit etiam in  
hac



haec Evangelij luce eos ab illis foveri; ac primo sentiant infantes fide propria destituti, sed eos baptizandos in patrum & Ecclesiae fidem: ac si iustus fide sua propria non viveret, sed aliena, de quo sequenti disputatione, fusius.

## XXXI.

Statuunt ex opere operato, hominibus peccata dimitti in baptismo, etiamsi ille qui baptisatur fide verâ, & propriâ destituatur, de quo supra; fingunt peccata cum materialiter tum formaliter sic dicta, baptismo tolli: ac si mors non esset stipendium peccati etiam ipsis baptizatis & hi non peccarent amplius, nec ipsa concupiscentia sit peccatum: dicunt praeterea ingressum religionis, respondere sacramento baptismi, quod extremè blasphemum, quia illud ad regenerationem hominis institutum, hac de re verone literam quidē sacra scriptura habent, & evacuat hoc ipsum fœdus Dei, meritumq; Christi quod baptismo in nobis obsignatum est: opinantur campanas, & alias res rationis expertes baptizari debere, ut immunes sint à Diabolis, quasi vero pro illis baptismus fuisset institutus: credunt aquam baptismi contra morbos energiam habere non exiguam, quod est Magicum, & quis posset, omnia illorum blasphemia de baptismo dogmata enumerare?

## XXXII.

Hec omnia iam olim à Luthero nostro ex verbo Dei falsa, impia & blasphemia demonstrata sunt: ideo Tridentini paterculi aliquot canones anathemate munitos contra eum vibrârunt statuentes primum sexto canone, in Romana Ecclesia vigere veram de baptismo doctrinam, quia illa mater, & magistra reliquarum omnium, quorum tamen utrumq; insciamur, quia alterum absurdum, alterum blasphemum, illud quia, non genuit Ecclesias, Hierosolymitanam, Syriacas, Gracas, Orientales, imo discipuli primum Antiochia dicti sunt Christiani; hoc, quia magisterium fidei soli Christo tribuitur Luc. 23. 45. Act. 16. 14. 2. Cor. 4. 6. Philip. 2. 13. 1. Cor. 3. 5. 6. & cre-





dimus omnes per ipsum Christum Ioan. 2. 7. si ita ad quæsitum, meram nugationem reponant.

## XXXIII.

Ne tamen habeant, quod regerant, doctrinam de baptismo dispecimus in ea, quæ substantiam baptismi constituunt, & ea, quæ iam baptismum constitutum sequi tanquam effecta debent, primo modo loquendo illos veram de baptismo doctrinam habere dicimus, imò, quia secundum institutionem Christi infantes suo baptismo excipiunt verè etiam regenerari eos dicimus, non quia illi faciunt, sed quia Christi baptismo, hi intiantur, nec obstant infanti baptizando, impia Pontificiorum superstitiones, cum hi illis imbui non possint; ideoque non sequitur illorum de baptismi effectu doctrinam esse veram, ut in precedentibus liquet, & exemplo circumcisionis demonstrari potest, nam & à Caipha, & alijs sacerdotibus Iudaicis circumcidebantur homines verè, cum tamen falsam illi doctrinam habuerint; imò ipsi tum circumcissione, Pontificij modo baptismo, infidelitatis, arguuntur, quia à puritate religionis defecerunt utriq̃.

## XXXIII.

Et sane in Pontificijs hoc abunde liquet ex insequentibus Tridentinorum aliquot canonibus, quibus gratuita promissioni misceri voluerunt mandata Dei, de nostris operibus: & fidei misceri voluerunt nostram observationem mandatorum Dei, deinde mandatis Dei admiscenda putarunt mandata hominum, ut & obligationi ad divina mandata, humanarum traditionum vota admiscerent, atq; hæc omnia, ad hominis iustificationem necessaria ostenderent, ideo suos canones bruto anathematis fulmine claudunt.

## XXXV.

Verum his omnibus, quia alibi fusissimè refutantur, hoc in loco brevis responsio sufficit; ac primum mandata Dei observanda, non quod ingrediantur justificationem, quæ fide  
gratis





gratis propter Christum datur, sed ut sit objectum renovatio-  
nis statuimus: quod traditiones hominum urgent, si illa sint  
eiusmodi, quae conscientias non onerant, opinione necessita-  
tis, cultus, & meriti, sed spectent adificationem Ecclesiae, &  
utilitatem proximi, & quae requiruntur ad res indifferen-  
tes; acceptamus; vota pro quibus Pontificij dimicant, quia sunt  
impia, blasphema, impossibilia, ut votum peregrinationum  
religionum, virginitatis, &c. simpliciter repudiamus.

XX XVI.

Vnum silentio praeterire circa hoc caput, nec possumus nec  
debemus, inurunt paterculi Tridentini maculam B. Luthero  
nostro, ac si docuisset fidem & gratiam Dei, peccatis conscien-  
tiam vastantibus non amitti; atqui vero hoc falsum, & syco-  
phanticum, neque enim unquam ex Lutheri scriptis hoc de-  
monstrabunt: nos interea pro multis unum ex articulis Smal-  
adducimus, quo Rabulas illos refellamus; Quando, inquit ibi  
Lutherus, admittitur peccatum contra conscientiam, amissa est  
fides; spiritus S. enim non sinit peccatum dominari, invalesce-  
re, & victoriam obtinere, ac consummari, sed reprimit & coer-  
cet, ne facere possit quod vult, si vero facit, quod vult, certe  
S. S. & fides amittuntur, nec simul adsunt. Hac ibi Lutherus,  
& locus à paterculis istis truncatus iniuriam fieri Luthero pra-  
se fert, nam non ait flagitiosus, dum in scelere haeret, sed pani-  
rens amplectatur gratiam Dei; Iudicet ergo qui iudicare po-  
test, an illa fuerit doctrina Lutheri, quam isti sophistae illi af-  
fingunt.

XXXVII.

Bellarminus tamen ut acutissimus omnium videatur ex  
Lutheri scripto de cap. Baby: affert illud, nulla peccata  
(inquit ibi Lutherus) cum possunt damnare, nisi increduli-  
tas; cetera omnia, si redeat, **VEL STET FIDES.**  
in pro-





in promissionem divinam baptizato factam in momento absorbentur, per eandem fidem ubi urget, si redeat, *VEL* *Sed* Fides, ut, ne quidem Lutherum defendi posse, arbitretur.

## XXXVII.

Verum gerra sunt impostoris, qui ea, que coniungenda erant divisit; deinde Lutherus non dixit primum si stet vel redeat. sed contra, ut terminū à quo, & terminū ad quem pœnitentis expresserit; nā qui redit eo ipso, quia redit, aliunde ad aliud redire dicitur, ut scilicet, pœnitens retro ad id, quod suo peccato excusserat, eat; ad hac committit aquivocationē in particula *VEL*, qua non semper disjunctivè pro aut, sed quandoque copulativè pro &, sumitur, & sic Lutherus; deo intellexit post ipsius reditus actum, ipsam fidei, (ut sic loqui liceat) stationem & quietem, qua non aliud fuit, quam amissi boni per fidem in pœnitentia recuperatio, num vero hac pro Bellarmino? Quid? quod Lutherus eò loci perpetuam inter peccatum & fidem pugnam indicare voluit, emphatico enim vocabulo absorbendi usus, certe intellexit unum per aliud tolli, ut mirum sit Bellarminum hac contra Lutherum protulisse, cum eà ipsa B. Lutheri sententia dogma pontificium penitus inguletur.

## CAPVT III.

DE SECUNDA PONTIFICIORUM  
Tabula.

## XXXVIII.

Docent Pontificij baptismum esse primam tabulam: in naufragio autem ita collidi illam, ut post naufragium ad eam amplius non pateat reditus, ideoque dicunt baptismum valere ad remissionem peccatorum tantum præteritorum, vel que tempus baptismi in baptizando reperit; tandem vero in adulta atate hominibus peccatoribus de alia secunda tabula prospiciendum,



eiendum, quae sit medium, per quod illi vitam aeternam adipiscantur; quia gratia scelus dissolutum & fractum sit.

XL.

Per hanc vero secundam tabulam metaphorico plane sensu intelligunt penitentiam, ut quemadmodum in naufragio aliquo, solida navi fracta homines naufragium facientes, arripiunt navis tabulas, & per eas ad ripam & portum, magno cum labore, enatant, ut evadant mortem, ita etiam, inquit, baptizatus, postea quam peccavit, & ex federe baptismi, quod navi ab ipsis comparatur, per peccatum quis excidit, redeundum est illi ad penitentiam, qua accepta sine omni nauclero, ad portum salutis aeternae, suo labore per penitentiam, extra imò contra gratiam Dei, & meritum Christi, quae in baptismo antea obsignata erant, conversuro peccatori sit veniendum.

XL I.

Huic autem penitentiae, tria ascribunt, quibus constet, contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, quibus penitentiae partibus, tantum efficacia affingunt, ut vel lachryma contritorum sint peccatorum spongia, & restinguant aeterni ignis incendia, adeoque, secundum illos magnus contritionis dolor sufficit ad deletionem culpa, & poenae; cum tamen solus Christus propter iniquitates nostras attritus sit, & vulneratus propter scelera nostra Esa. 53. 5. Matth. 20. 28. Mar. 10. 45. Ioan. 11. 52. Act. 20. 28. & Christus torcular solus pro nobis calcavit, neque fuit de populis vir cum eo Esa. 63. 3. ut de his fusius infra de penitentia dicetur.

Catech.  
Roma.  
fol. 254  
& seq.

XL II.

Nos vero hoc in loco baptismum non esse navis fractae tabulam, sed navem integram, & fortissimam, quae excipiat omnes per veram penitentiam ad Deum redeuntes, post quemcumque lapsum aliquot sacrarum literarum dictis comprobabimus.

XL III.

Primum argumentum suppeditat nobis Marcus cap. 16. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, ubi non tantum finis, sed etiam effectus baptismi designatur propinquus vita enim aeternae in hac vita incipit per baptismum in nobis ita, ut qui credunt, susceptione iam vitam aeternam habeant, secundum regenerationem

Ioan. 3.  
16. & 6.  
Ioan. 17. 3.

C

& quo-



Et quotidianam spiritus renovationem, hanc vero inchoationem, perfectio demum consequitur 1. Pet. 1. v. 3. 4. 5. Et ipsa gratia justificationis, quae modo in spe est, non opponitur illi quae futura est in perfectione, eandem enim tum, quam jam habemus causam justificationis nostrae, habebimus, atque ita baptismo in nobis gratia Dei ob-signatur, à quâ quidem excidere quis potest, sed hoc ipso, gratia & misericordia Dei non ita colliditur, ut amplius reditus non pateat, sed manet firma & rata, quae redeunte in vera penitentiâ & fide, propter Christum, vicissim recipit. XLIV.

Quo accedit universa baptismi doctrina, quam Apostoli per universam hominis vitam diffundi annuntiant, ut videre est apud Paulum Tit. 3. non ex operibus iustitiae, quae (contra opus operatum, & secundam pontificiorum tabulam) fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus S. quem effudit abunde in nos per Iesum Christum, Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae; XLV.

Similiter Ephes. 5. 26. 27. Christus dicitur Ecclesiam lavacro aqua in verbo mundare & sanctificare, ut sistat eam sibi gloriosam, sine macula & ruga; Petrus autem, iis qui longè ante fuerant baptizati scribens, imò quamvis ipse Christum negarat, tamen non per aliquam secundam tabulam sibi navigandum censens, de presenti baptismo ait, baptisma nos salvos facit, quia est bonae conscientiae stipulatio erga Deum per resurrectionem Christi, abeant nunc Iebusitae & dicant nullum dari locum in sacris literis, quo probetur futura baptizandorum peccata remitti in baptismo. XLVI.

Denique pactum certe gratiae, & fedus pacis, quod baptismo in nobis ob-signatur, ita comparatum est, ut maneat firmum & ratum in omnem aeternitatem, non, quasi homines illinc excidere non possent, quod plerumque contingit, & iustus in die septies cadit, ut iusto se avertenti à via sit mors; Sed quod Deus, qui nobiscum stipulatur est immutabilis Mal. 3. 6. Non est Deus quasi homo ut mentiarur nec ut filius hominis ut mutetur Num. 23. 19. triumphator penititudine non flectitur. 1. Reg. 15. 29. fedus etiam hinc Dei, in-violabile Esa. 54. 10. Ier. 33. 20. 21. ut & Iere. 32. 40. dona Dei sunt

Ezech. 18.  
24. & 33.  
12.



439  
sunt sine pœnitentia Rom. 11. 29. promissiones Dei in Christo sunt  
etiam, & amen.

XLVII.

Quamvis ergo hominis infidelitas impediatur, quo minus fructus  
divinae promissionis in presenti perfruatur, tamen ipsa promissio, &  
fœdus Dei per se consideratū, & baptismo de gratuita iustificatione  
obsignatū, respectu Dei manet inviolatum, quia hominum increduli-  
tas fidē Dei non evacuat, ut maxime omnis homo sit mendax, ille ta-  
men verax in suis promissionibus manet Rom. 3. 3. 4. & licet nō cre-  
damus, ille tamen fidelis permanet, negare se ipsum nō potest. Ex his  
spontē emergit, quod homo post quemcūq; lapsū si serio pœnitentiā  
egerit, protinus ex vi promissionis semel in baptismo factæ (quæ per  
subsequentem incredulitatem evacuari respectu Dei non poterat)  
denuo ad gratiam & fœdus Dei baptismo obsignatum, admittatur.

XLVIII.

Ita Propheta olim in Testamento V. Apostoli in N. T. non ad  
rem aliam, quā ad ipsum fœdus circumcisione & baptismo obsigna-  
tum revocarunt peccatores, Gal. 3. 1. Cor. 12.

XLIX.

Natura etiam promissionis gratiæ ea est, quæ promittit salutem  
per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut ipsius gratiæ iustifica-  
ti heredes simus vitæ æternæ, Tit. 3. atq; hinc baptismus post quem-  
cūq; lapsū si conversio hominis fiat vera pœnitentia & fide, & pœ-  
nitentiæ & authenticum signum est, quod Deus tali homini per Christum  
vere sit placatus, quia testatur, eius morte, sepultura, & Christi resur-  
rectione liberari à morte & damnatione, ut hinc stipulatio conscien-  
tiæ bonæ sit.

L.

Quibus ita immotè stantibus, sequitur baptismum esse firmissi-  
mam navim; nec unquam ita collidi, ut gratiæ fœderis evacuetur  
hominum peccatis, adeoq; dicimus quidem, ex hac gratiæ homines  
excidere, imo si impœnitentes maneat, perire etiam: ita tamen, ut  
gratiæ sit & maneat in omnem æternitatem, gratiæ ad quam homi-  
nibus sit revertendum in vera pœnitentia & fide, quæ ubi sunt à  
humine ea ipsa gratiæ baptismo obsignata propter Christi meritū fide  
nobis applicatū, cedat ad salutem. LI.

Quomodo autem ad hanc Dei gratiā cuivis peccatori sit redeun-  
dum





dum, per quam salutare est scire; statimus ergo non reiteratione baptismi neque nuda & sola historica baptismi recordatione, quod per execrandam calumniam nobis pontificij affingunt; sed dicimus, ut 1. lapsus doctrinam legis inuitetur & ducatur ad penitentiam, 2. proponatur ipsi doctrina Euangelij, de gratia Dei in Christo, 3. & credenti ministerio Clavium peccata solvantur, seu remittantur per nomen Christi 4. invitetur ad cenam Dominicam, ubi accipiat Novum Testamentum in sanguine Christi; atque hac praxis in convertendis peccatoribus verbo Dei consona, quae tamen omnia & singula, ad reconciliationem cum Deo non praescribunt homini peccatori aliam aliquam secundam tabulam sed reducant ad primam, ut sit eadem promissio, idem meritum Christi, eadem gratia, eadem fides, iam antea baptismi obsequata Eph. 4. etiam si homo septuagies septies cadat.

## LII.

Cur autem homo non sit rebaptizandus Ecclesiae nostrae has firmissimas rationes reddere solent 1. quia pactum gratiae & foedus pacis, quod in baptismi inicitur, & obsequatur, non est momentaneum, sed perpetuum, & sempiternum, ut iam ostensum. 2. Quia nulla reiteratione precipitur, ut in Cena Domini. 3. Quia baptismus Circumcisioni successit, quae semel facta, nunquam repetita est. 4. Quia baptismus est lavacrum regenerationis; semel autem regeneramur, sicut semel nascimur Tit. 3. Iob. 3. 5. Quia nullum reiterationis baptismi exemplum in Sacris legitur.

## LIII.

Atque haecenus contra aliquot de baptismo Tridentinorum ετεροδιδασκαλούντων κηρίων, πανουργίας dicta sunt. DEO autem praesenti in aeternum gratiae agenda, quod is nobiscum ex immensa sua misericordia, non tantum pepigit foedus, verum etiam ita illud baptismi obsequavit, ut miserimo peccatori, in vera penitentia & fide ad illud reditus pateat, ad accipiendam & reportandam per Christum vitae coronam: Pro hoc immenso erga nos amore DEO Tri-uno sit laus, honor, & gloria in omni aeternitatem. Amen.

F I N I S.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17











*ante gratia*  
**V N D A**  
**INIS CON-**  
**VI REVEREN-**  
**VIRI, DN. D.**  
**OMNITII**  
**QVARTA.**  
*s capita*  
*Christi.*  
*um.*  
*orum tabula.*  
*δίασνεψιν*  
*o,*  
**GESNERI,**  
*Academia Witeb.*  
*Martij in Tem-*  
*alis,*  
**CZENKINVS,**  
  
*GÆ*  
*Anno 1603.*



421  
22

